UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Anthologia Sacra

Ex Probatissimis Vtrivsqve Linguæ patribus collecta, atque Octastichis versibus comprehensa

Billy, Jacques de

Parisiis, M.D.LXXV.

Curandum esse vt preces nostræ ab animo puro proficiscantur. 93.

urn:nbn:de:hbz:466:1-50828

Visual Library

horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.

Curandum eſſe vt preces noſtræ ab animo puro proficiſcantur.

93.

CVm pect⁹ gratũ eſt, tũ ſunt quoque munera grata,
Viſus Abel primùm eſt, poſtea dona, Deo.
O quàm falluntur, ſua qui iucunda Tonanti
Vota putant, cùm ſint pectore nata malo!
Non ſatis eſt ſerti careant quòd puluere flores:
Pura legentis enim debet & eſſe manus.
Sic quoque non ſatis eſt quòd ſint tua vota precéſque,
Ni quoque mens pariter ſit ſine labe tua.

SCHOLIA.

Cum pectus gratum) Chriſtus apud Eſaiam impiorum preces & ſacrificia aſpernatur: & in Pſalmis eum inſectatur, qui, cùm turpiter & flagitioſè viuat, ipſius tamen iuſtitias annunciare non veretur. Atque huc facit quod eſt apud Hieronymum. Exponens enim illud Amos, Aufer

Eſaiæ 1. *Pſal. 49.* *Hieron. in 5. Amos.*

à me tumultum carminũ, Rectè, inquit, cantica Leuitarum, quibus laudabãt Dominum, tumultum vocat, ſonitũque cõfuſum, quia non eſt pulchra laus in ore peccatoris.

Ezec.15. *Non ſatis eſt)* Quemadmodum in *Hom.cũ* coronis, inquit Chryſoſtomus, *presb.* non ſat eſt flores eſſe puros, niſi *eſſet de-* pura ſit & manus eas contexens: *ſig.* ſic & in ſacris hymnis oportet non verba tantùm eſſe pia, verũ etiam animum hymnos concinentem. Ac rurſum aliquanto *Pſalm.* pòſt de eo loquens, quod Dauid *148.* in pſalmo quodam beſtias etiam ad laudandũ Deum inuitãs, nullam tamen peccatoris mentionẽ facit: Vt, inquit, muſicus probus à cithara bene modulata chordam diſſonã reſecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur: ſic & peritus artis medicus mẽ-

brũ putrefactũ amputat, ne hæc lues ad cætera membra trãſiliat.

Cur Deus pauperes in mundo eſſe velit.

94.

CVm cunctis elementa Deus donauerit æquè,
Effigiem cunctis indideritque ſuam:
Cùm cunctis æquè vox ſit data, ménſque: redempti
Cùm fuerint pretio diues inópſque pari:
Denique cùm cæli ſit ſpes æqualis vtrique:
Noluit hos opibus cur Deus eſſe pares?
Scilicet vt cæli regnum lucretur vterque,
Dum patitur pauper, diues cúmque iuuat.

SCHOLIA.

Cum cunctis elementa) Gregorius Nazianz. in ea oratione, quam de pauperum amore conſcripſit, poſteaquam eorum calamitatem luculentiſſimè deſcripſit, ea omnia tam corporea, quàm ſpiritualia beneficia enumerat, quæ cæteróqui à Deo ipſis contigerunt, Quò videlicet hinc oſtendat, nõ propterea eos contemptui eſſe